



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Ann. Ellen Ann Kennan
Ritter, Julius. Febr. 1. 1897

DE

EURIPIDIS ALCESTIDE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

**AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINI**


IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

IULIUS RITTER
POSTAMPIENSIS.

IENAE, 1875.
TYPIS RATII.

888
E8a0
R42



Nemo fere est veterum poetarum, de quo a primis temporibus adeo inter se dissenserint viri doctissimi atque ingeniosissimi indolem, ingenium, virtutes, vitia dijudicantes atque de Euripide. Ipsius enim jam aetate Athenienses in duas quasi partes divisi erant, quarum altera summis laudibus eum efferebat, altera duce Aristophane gravissime exagitabat atque inridebat, quam partem eo magis dolendum est victoriam reportavisse, quod injustissime saepe ab adversariis ludibrio eum habitum esse nemo est qui neget. Tamen poetae illius opera factum est, ut per multa saecula, cum ceteri poetae tragici iterum atque iterum legerentur et magnifice laudarentur, satis parvi aestimatus sit Euripides, cui recentissimis demum temporibus justum tribui coeptum est. Cujus rei si causam quaerimus, imprimis ideo apparet Euripidem tantam offensionem magno civium numero praebuisse, quod in fabulis edendis vetera relinquere, novis rebus studere videbatur. Itaque et cum ipse floreret ut omnium plausu frueretur tantum abfuit, ut quicunque institutis a patribus traditis servandis operam dabat, vehementissime in eum inveheretur, neque nostris temporibus omnium judicio probatur. Quisquis enim Aeschyli gravem illam ac vel subobscuram orationem tragoediae aptam esse existimat, Euripidem paulo leviolem habeat necesse est; neque si Sophoclem perfecta tragoediae exemplaria nobis proposuisse credimus, prorsus probandus nobis est Euripides.

Tamen quamvis Euripidi non tradas palmam, non est, cur plane eum abicias, id quod nonnulli fecerunt. Quid quod, ut exemplum afferam, Iean Paul ad eam iudicii iniquitatem pervenit, ut haec de eo faciat verba: „Aristophanes lässt wie ein Moses seinen Froschregen auf den Euripides nur zur Strafe seiner schlaffen und erschlaffenden Sittlichkeit fallen, weniger bestochen als Sokrates von dessen Sittensprüchen bei vorwaltender Unsittlichkeit im Ganzen“? At ne eos quidem recte iudicavisse arbitror, qui Euripidem, id quod fieri solet, ut gloriam ejus ab adversariis defenderent, immoderate ad caelum extulerunt omniaque, quae scripsit, perfecta atque absoluta esse censuerunt. Sed aurea illa mediocritas ut saepissime ita in hac quoque re servanda videtur, quod tamen uberius exponere ab hac dissertazione alienum est.

Ut vero in ipso poeta, ita in singulis quoque fabulis ejus dijudicandis mirum quantum inter se distent virorum doctorum sententiae, quod cum in aliis fabulis cerni potest, tum in ea, quam singulari quadam indole esse constat, dico Alcestin. Atque cum etiam nunc maxime inter se dissentiant viri docti de Alcestitis indole et natura, operae pretium videtur esse, nonnulla de illa fabula disserere.

Ut igitur ordiar ab ea re exponenda, quae plurimum valuit ad iudicium de Alcestride constituendum, G. Dindorfius¹⁾ fragmentum quoddam didascalicum e codice Vaticano²⁾ depromptum

1) Euripidis Alcestitis. Ad codicem Vaticanum recensuit Guilelmus Dindorfius. Oxonii MDCCCXXXIV.

2) Vaticanus codex, a Kirchhoffio littera B significatus, in antiquiore melioreque Euripidis codicum ordine principem locum tenet. Praeterea, ut hoc paucis verbis attingam, Alcestitis exstat in codice Havniensi (C apud Kirchhoffium), qui proxime ad Vaticani laudes accedit, in Parisino (a) tribusque Florentinis (b, c, d), qui omnes ex exemplo novem fabulas complexo derivati sunt; deterioris notae codices ex exemplo undeviginti vel etiam plures fabulas complexo derivati et ipsi Alcestin continent, ita tamen, ut in Harlejano (A) nihil nisi pars fabulae indo a versu 1031 exstat, tota fabula scripta sit in codicibus Palatino (B) et Florentino (C).

edidit. quod isti fabulae necopinatam lucem attulit. Ejus fragmenti verba haec sunt:

Ἄλκηστις ἢ Πελίου θυγάτηρ ὑπομείνασα ὑπὲρ τοῦ ἰδίου ἀνδρὸς τελευτῆσαι, Ἡρακλέους ἐπιδημήσαντος ἐν τῇ Θετταλίᾳ διασώζεται, βιασαμένου τοὺς χθονίους θεοὺς καὶ ἀφελομένου τὴν γυναῖκα. παρ' οὐδετέρῳ κεῖται ἡ μυθοποιία. τὸ δράμα ἐποιήθη ἰζ' 1), ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου ἄρχοντος πέ' ὄλ. 2) πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος 3) Εὐριπίδης Κρήσσαις, Ἄλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφίδος 4), Τηλέφῳ, Ἄλκηστιδι. τὸ δὲ δράμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφὴν 5). . . .

Ex hoc fragmento primum hoc cognoscimus, Alcestin, si quidem ille numerus re vera ἰζ' legendus est, septimam decimam Euripidis fabulam Olympiadis octogesimae quintae anno altero

1) In fragmento legitur ἰξ̄, cui numero corrupto quae emendatio adhibenda sit, Dindorfius probabiliter dici posse professus tamen quid velit scribi non aperte ostendit; ἰζ' numerum, quem Kirchhoffius in textum recepit, facilima mutatione in ἰξ̄ potuisse corrumpi apparet; quae conjectura, cum rei quoque maxime conveniat, retinenda videtur esse.

2) Haec pro τὸ λ̄, quod in codice exstat, Dindorfius egregie conjecit; Glaucinus enim archon Olympiadis octogesimae quintae anni secundi eponymus fuit.

3) In codice minus bene legitur πρῶτον et δεύτερον.

4) Sic legendum videtur pro ἄλκμαίωνι τῷ διαψωφίλῳ.

5) Extremum hujus sententiae verbum in fragmento est κατασκευὴν idque a Dindorfio scriptum est; tamen ille ipse vir doctissimus jam dubitavit, num in καταστροφὴν mutandum esset, quod et in Orestis argumento eadem verba leguntur: τὸ δὲ δράμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφὴν, et in ipsius Alcestitidis hypothesi sequitur sententia: τὸ δὲ δράμα ἔστι σατυρικώτερον, ὅτι εἰς χαρὰν καὶ ἡδονὴν καταστρέφει; multoque aptius videtur καταστροφὴν vocabulum. Quid enim comici, nisi forte Herculis personam comicam potissimum vim habere censes, praeter ipsum eventum felicem invenitur in κατασκευῇ i. e. in apparatu aut in materia? Sed de hac re alio loco nonnulla disputanda erunt; videbimus enim, Koechlyum virum clarissimum hanc ipsam vocem premere. Interim cum Kirchhoffio illud κατασκευὴν in καταστροφὴν mutandum esse tenebimus. .

compositam esse, ita quidem ut Rhesum principem poetae fabulam solam editam tres tetralogiae sequerentur, quas omnes intercidisse dolendum est, deinde haec, cujus quartum locum Alcestis obtinebat. Quodcum Euripidem anno a. Chr. n. 480 (= Ol. 75, 1) natum Peliadas anno a. Chr. n. 456 (= Ol. 81, 1) edidisse constet (Rhesum enim alieno nomine docuisse videtur), illo tempore, cum Alcestin composuit, annum quadragesimum alterum agebat, septemdecim autem per annos fabulis scribendis operam dabat, ut singulas quotannis fabulas priore illo tempore eum composuisse concludere liceat.

Hoc vero ipsum, quod Alcestis quartae tetralogiae quartum locum obtinuit, plurimum valuit ad eam rectius dijudicandam. Primum enim ex hac re cognoscimus omnium Euripidearum fabularum, quae nobis servatae sunt, Alcestin antiquissimam esse ¹⁾. Deinde autem quem tetralogiae locum Alcestis obtinuerit fragmento illo certioribus factis Godofredum Hermannum ceterosque refutare nobis licet, qui altero vel tertio loco eam editam esse defenderunt. Sed de hac re infra copiosius disputabimus. Antea vero de tribus fabulis, quae Alcestin antecedeabant, pauca verba facienda sunt, quarum etiamsi singuli tantum versus aut exigua fragmenta nobis servata sunt, tamen opera virorum doctissimorum Welckeri ²⁾, Schoellii ³⁾, Hartungii ⁴⁾ factum est, ut argumenta cognosci possint.

Hae igitur sunt tetralogiae illius fabulae: Cressae, Alemaeo in Psophide, Telephus, Alcestis. Atque Cressarum quidem argumentum hoc fere fuisse videtur:

1) Nam Rhesum, quem quidem nos habemus, cum alii viri docti ostenderunt tum Welckerus, non eum esse, qui ab Euripide prima fabula editus est; quae fabula utrum jure Euripidi tribuatur necne cum longius sit disserere, satis habeo commemoravisse adhuc disceptari de ea inter viros doctos.

2) „Die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet“ von F. G. Welcker. Bonn 1839.

3) „Beiträge zur Kenntniss der tragischen Poesie der Griechen“. Berlin 1839.

4) I. A. Hartung „Euripides restitutus“. Hamburg 1843—44.

Atreus, Argorum rex, Thyestem fratrem, qui regno potiri conaretur cumque Aerope, Atrei uxore, adulterio exercito auream pellem abstulisset, e patria expulerat. Mox Thyestes redit sordidaque veste tectus ad aram considit.

Colloquio inter fratres facto Atreus ut ille urbem relinquat postulat. Sed cum iterum Thyestes, ab Aerope adjutus, contra Atreum consilia molitus sit, ille ut periculum avertat ignominiamque acceptam ulciscatur, epulas illas nefastas parari jubet, in quibus Thyestes suorum ipsius filiorum carne inscius vescitur. Quo facto ille discedit diras imprecatus fratri nequissimo.

Sic Welckerus rem actam esse coniecit, aliter Schoellius et Hartungius, qui Thyestem ab Atreo revocatum esse censent simulante crudelitatis se poenitere, deinde eum malo dolo deceptum foedae illi cenae interfuisse. Sed haec nihil ad rem, de qua agere proposuimus; hoc enim constat, Thyestem in intima Aepes familiaritate versatum liberos suos ab Atreo mactatos comedisse. Nomen fabula traxit a choro, qui e mulieribus Cretensibus constabat; Aerope enim regis Cretensis filia fuisse dicitur, quae a patre propter stuprum in mare abici jussa erat, sed a servo quodam Argos ducta Atreo nupserat.

De altera ejusdem tetralogiae fabula, quae inscribitur Ἀλκμαίων ὁ διὰ Ψωφίδος viri docti etiam magis inter se discrepant. Alcmaeo enim matrem Eriphylen occiderat, quia torque aurea seducta patrem in mortem compulerat. Qua de causa persecutantibus Furiis in Arcadiam confugit, ubi a Phegeo rege Psophidis purgatus filiam ejus Arsinoen sive Alphasiboeam in matrimonium ductam torque illa donat. Mox vero, cum urbs pestilentia vexaretur, quae Alcmaeonis culpa in terram invasisse videbatur, ille a Pythia jussus terram quaerere, quae post necem demum matris e mari emersisset, ad Acheloum venit, qui per alluvionem terram aggererat. Ubi posteaquam Calirhoen, Acheloi filiam, duxit, ab eadem rogatur ut torquem illam sibi donet; ad quam afferendam Psophida revertitur. Quam cum Apollinem petisse simulaverit, ab uxore destituta accipit; in re-

ditu autem fraude detecta ab Arsinoes fratribus occiditur. Quae de re cum mulier probissima fratribus succenseat et ipsa interficitur. Cujus narrationis Welckerus in Euripidis fabula priorem tantum partem tractatam esse e fragmentis nobis traditis conicit, ita quidem ut in scaenam prodiret Alemaeo furiis consectantibus, tum morbus ejus depingeretur, deinde vir fortissimus purgatus regi persuaderet, ut filiam sibi in matrimonium daret. Contra Schoellius et Hartungius totam rem quam narrauerimus ab Euripide propositam esse censent. Quae in re quis rectum viderit cum hujus dissertationis non sit dijudicare, satis mihi sit virorum doctorum dissensionem commemorasse.

Venimus ad tertiam fabulam: Telephum. Ac Telephus quidem, rex Mysorum, cum Graecorum exercitum adversus Trojam proficiscentem fugasset, ipse vero ab Achille gravi vulnere affectus esset, oraculi Delphici responsum acceperat: *ὁ πρόσας καὶ ἰάσεται*. Itaque ad Graecorum exercitum se contulit, qui interim Mycenae redierat. Ut vero ne agnosceretur, mendici vestibus indutus primum soli Clytaemnestrae, quis esset, aperuit, quam ob Iphigeniae caedem Agamemnoni irasci videret. Ab hac ad aram considerare jussus Agamemnonis auxilium implorat ducibusque Achivorum quid sibi velit exponit, simulans se ab ipso Telepho vulneratum esse. Iam impetraverat, quae volebat, cum Ulixes, quis re vera sit cognoscit ceterosque ut eum interficiant admonet. Tum Telephus Oreste, Agamemnonis filiolo, arrepto minuitur se eum interfectorum esse, nisi Achivi sibi medeantur. Accedit, quod Graecis oraculum responderat, nisi Telepho ducente eos Trojam capturos non esse. Itaque Graecis ad foedus cum Telepho ineundum commotis, ille Achillis hasta tactus vulnere liberatur. Tum Graeci ab eodem in Asiam ducuntur, ut vero secum contra Trojanos pugnet non impetrant. Quam fabulam spectatores Themistoclis commonefecisse Hartungius recte adnotat, cujus victoria, fuga, salus Admeti filio arrepto impetrata, exitus simillima sunt. Tamen num vere hoc Euri-

pidis consilium fuerit, ut virum illum fortissimum Atheniensibus quasi ante oculos poneret non audeam dijudicare.

Has tres igitur fabulas, quarum argumenta modo exposuimus, secuta est Alcestis, quam nobis servatam esse eo magis gaudemus, quod, ut infra docebimus, ea indole est, ut in nullo ceterarum fabularum genus inseri possit. De qua ita nobis disserendum videtur, ut primum de mytho breviter loquamur, quo Euripides in fabula componenda usus est, deinde fabulae ipsius argumentum enarremus, quaeramus denique, quid sibi voluerit poeta in Alcestide scribenda, quid vero nobis ipsis de ea sit judicandum.

Mythus igitur hic fere est, qualis nobis traditur ab Apollodoro, Hygino, Zenobio, aliis, quos accuratissime Pflugkius in editionis suae prooemio contulit.

Apollo Cyclopes aut, ut alii dicunt, Cycloperum filios sagittis occiderat, aegre ferens mortem Aesculapii filii, a Iove interfecti, quod non modo morbis omnibus medebatur, sed etiam mortuos nonnullos in vitam revocaverat. Quam ob causam a Iove annum in terra servitium subire iussus ad Admetum, Pheretis et Clymenes filium, se contulit ad poenam absolvendam. Mox vero apud eum non tam servi quam amici locum deus obtinebat, qui benevolentiam suam ei praestitit, cum Admetus Alcestin, filiam Peliae atque Anaxibiae in matrimonium concupisceret. Pelias enim pollicitus erat se ei filiam daturum esse, qui aprum et leonem curru junxisset; Apollo igitur bestiis domitis Admeto facultatem dedit Alcestidis ducendae. Sed cum paulo post Admeto, quippequi Dianae iram excitasset, a fato destinatum esset ut vita decederet, ne tum quidem Apollo amico defuit. Parcas enim dolo commovit ut illi vitam condonarent, si quis reperiretur, qui pro eo mori paratus esset. Nullo vero alio invento, qui tanto beneficio Admetum adficeret, ipsa Alcestis fidissima uxor morti pro eo sese obtulit dieque constituta animam efflavit. Nec defuit praemium tanto amore dignum.

Nam vel deis misericordia commotis vel Herculis, ut Euripides narrat, opera Alcestis morti erepta incolumisque Admeto reddita est.

Hujus mythi extremam partem Euripides in fabula, cui Alcestidi nomen indidit, tractavit, cujus jam argumentum nobis narrandum est.

In prologo igitur (vv. 1—76 apud Kirchhoffium) Apollo breviter exponit, qua de re agatur, doletque, quod Alcestidi opitulari non possit, cum Orcus prodit atra veste indutus armatusque ense. Colloquio inter eos facto Apollo deprecatur pro vita Alcestidis, cujus loco ut aliam mulierem auferat Orco suadet; Orcus vero sese nunquam illam dimissurum esse profiteretur. Tum Apollo minitatur adfore aliquem, qui Alcestin liberet: Almenes filium. Iam chorus in scaenam prodit, qui in parodo (vv. 77—135) deliberat, utrum Alcestis vita jam decesserit necne quantoque commoveatur dolore pronuntiat. Tum in primo episodio¹⁾ (vv. 136—212) chorus per ancillam e domo egressam in eo rem versari certior fit, ut Alcestis sine dubio mox animam efflatura sit. quae quid postremum locuta sit quidque egerit ancilla narrat. Sequitur kommos (vv. 213—279), in quo primum chorus rem tam atrocem lamentatur, deinde Alcestis ipsa et Admetus e domo progressi verbis vehementer commoventibus sortem suam miserrimam conqueruntur. — In altero episodio (vv. 280—392) Alcestis conjugem deprecata, ne liberis novercam adducat, ipsum liberosque valere jubet, Admetus autem sese nunquam obliturum optimae uxoris neque aliam mulierem in matrimonium ducturum esse pollicetur, cujus rei testes liberos advocat. Paulo post Alcestis e vita decedit. Quam Eumelus filiolus suavissimo threno (vv. 393—415) deplorat. Posteaquam Admetus omnes cives vestes lugubres sumere jussit,

1) Sequor in significandis fabulae partibus Aristotelem, qui in poeticae capite duodecimo de hac re disserit, quod caput ut concedam non ab ipso Aristotele esse compositum, tamen ab ejus discipulo quodam videtur profectum esse.

funusque rite faciendum curavit (vv. 416—434), chorus primo stasimo (vv. 435—475) Alcestidis amorem erga conjugem virtutemque laudibus effert. Tum Hercules prodit, qui in Bistonum terram missus, ut Diomedis equos abduceret, ad hospitem Admetum devertit. In tertio igitur episodio (vv. 476—567) Hercules choro unde veniat quidque ab Eurystheo jussus sit perficere exponit, deinde ab Admeto, qui interim domum intraverat, invitatur, ut apud se maneat; funere vero conspecto non retinetur nisi praetextu ficto, peregrinam mulierem sepeliri. Choro autem rege nimiam hospitalitatem opprobrio facienti ille respondet, calamitatem hospite dimisso non minui. His verbis commotus altero stasimo (v. 568—605) chorus domum Admeti laudibus praedicat, in qua vel deus domicilium habuerit. Iam ad funus exsequendum Admetus civesque se parant, cum Pheres, pater Admeti, et ipse fueris causa prodit, quem in quarto episodio (vv. 606—746) Admetus vehementer vituperatum, quod adeo aetate proventus non sustinuerit. pro filio mori, statim decedere jubet. Sed Pheres sese quoque vitam diligere professus ostendit filium ejusdem ignaviae esse, quam ipse sibi exprobravit, quippe qui uxorem pro se mortem oppetere passus sit. Sequitur acerrima altercatio inter patrem et filium, de qua infra accuratius disputandum erit. Tum senex abit, nec multo post Admetus quoque cum funere scaenam relinquit. Iam servus prodit, qui in episodio quinto (v. 747—860) indignationem suam pronuntiat, quod Hercules in tanto luctu non modo remanserit, sed etiam immodeste ederet atque biberit, quem Hercules ipse, coronatus e domo egressus, docet vita fruendum esse, donec possimus. Certior tamen factus, Alcestin ipsam mortuam esse, quasi attonitus statim corona deposita abit, ut, si possit, Oreo mortuam eripiat. Interea Alcestide sepulta Admetus rediit. summo nimirum maerore commotus, quem insequenti kommo (vv. 861—933) chorus frustra consolari conatur; Admetus enim in condicione multo pejore versari quam ipsa uxor sibi visus vehementer fortunam suam conqueritur (vv. 934—961), qua re impulsus chorus ter-

tio stasimo (vv. 962—1007) ἀνάγκην deam praedicat, qua nihil majus potentiusve cogitari possit. Tum Hercules redit cum muliere velata, quam a se in certamine quodam praemium acceptam esse simulat, Admetumque rogat ut eam ad se recipiat, donec ipse redierit. In exodo igitur (vv. 1008—1158)¹⁾ Admetus primum aegre ferens, quod alienam mulierem recipere coactus sit, tandem hospiti morem gerit; acceptam autem mulierem postquam uxorem dilectissimam esse cognovit, fabula finitur eventu felicissimo.

Iam quoniam argumentum fabulae exposuimus, hoc explicandum videtur, in quod fabularum genus Alcestis referenda sit. Nam a ceteris Graecorum poetarum tragoediis eam discrepare, antiquiorum jam temporum grammatici cognitum habebant, id quod apparet ex his argumenti fabulae praescripti verbis: παρὰ τῶν τραγικῶν ἐκβάλλεται ὡς ἀνοίκεια τῆς τραγικῆς ποιήσεως ὃ τε Ὀρέστης καὶ ἡ Ἄλκηστις, ὡς ἐκ συμφορᾶς μὲν ἀρχόμενα, εἰς εὐδαιμονίαν δὲ καὶ χαρὰν λήξαντα. ἔστι μᾶλλον κωμωδίας ἐχόμενα. Atque usque ad hoc tempus, ut dixi, viri docti inter se dissentiunt, cui fabularum generi Alcestis sit tribuenda, utrum tragoediarum — at multa insunt, quae satis longe abhorreant a cothurni gravitate —, an comoediarum — at totum argumentum magis tragicum videtur esse —, an fabula satyrica habenda sit — sed ubi sunt satyri, ubi Sileni? — an denique novum quoddam genus hac fabula significetur.

Haec est quaestio, de qua tot viri doctissimi atque ingeniosissimi jam disseruerunt, ut vix novi quicquam afferri posse videatur. Tamen quoniam ei viri, qui principes habentur artis philologicae et poeticae, Godofredus Hermannus, Goethius, Wielandus antea de hac re disputaverunt, quam fragmentum illud

1) Nam versus 1159—1162 non videntur huc pertinere, quos, cum eisdem verbis quatuor aliae fabulae Euripideae concludantur, Andromacha, Bacchae, Helena, Medea, diu jam viri docti spurios esse censuerunt.

editum erat, postea autem satis diu fabula, de qua agimus, neglecta nuperrime viri doctissimi Firnhaberus,¹⁾ Koechlyus.²⁾ Bendixenius,³⁾ Buchholzius,⁴⁾ alii mirum quantum inter se dissepunt, audeo iterum de eadem re verba facere, non qui nova proferam, sed ut sententias antea prolatas inter se comparem omnibusque examinatis optimam retineam. Hoc autem consilio utendum mihi videtur esse, ut non refutem, deinceps aliorum sententias sed ut statim in mediam rem ingressus quo quaeque loco occurrat sententia, eo examinem. Namque priorem illam disputandi viam ingressis facile accidit, id quod verbi causa ne Buchholzius quidem in dissertatione praestantissima satis cavit, ut easdem res iterum atque iterum proferant, quoniam quaecumque sententiam refutas, quid ipse de hac re sentias explices necesse est.

Itaque cum ad fabulae indolem cognoscendam nihil antiquius existat, quam ut personas deinceps accuratius contemplerur, primum eam quidem personam, a qua toti fabulae nomen inditum est, Alcestin dico, quivis concedet dignissimam esse tragoedia. Quo enim est amore atque fide erga conjugem, pro quo ne mori quidem deneget! qua fortitudine morte imminente! qua pietate erga deos, comitate in servos! quo liberos amplectitur amore! Equidem non habeo, quas huic antepo nam aliarum tragoediarum mulieres. Nam si nonnulla in ea reperiuntur, quae non satis ei mulieris virtuti convenient, quam nos his quidem temporibus perfectissimam putamus esse, velut si iterum atque iterum ne alteram virginem in matrimonium ducat a marito petit aut si Admeto gloriari licere dicit, optimam sibi fuisse uxorem, liberis, praestantissimam matrem⁵⁾, si denique quaecumque pro

1) Censur. dissert. Glumianae. Zeitschr. für Alt. 1837 p. 417.

2) Die Alcestis des Eur. in Literarhist. Taschenbuch ed. Prutz 1847.

3) De Alcestide Euripidis Commentatio. Altonae 1851.

4) Commentatio de Alcestide Euripidea. Osnabrück 1864.

5) v. 323 squ.: — — — — — καὶ σοὶ μὲν, πόσι,
 γυναῖκ' ἀρίστην ἔστι κομπάσαι λαβεῖν,
 ὑμῖν δὲ, παῖδες, μητρὸς ἐκπεφυμέναι.

viro dedit enumerat atque ut sibi gratiam quam maximam referat postulat — haec omnia nobis judicanda sunt ut tum erant tempora, neque praetermittendum est nos aliter sentire de his rebus ac Graeci senserint. Quibus enim non turpe videbatur esse, Achillem lacrimas effundere, Antigonam miserabili fletu mortem praematuram conqueri, qui omnino veritatem ex ipsa natura expressam in fabulis, quas spectabant, depingi volebant, eis displicuisset ea Alcestis, quae lubenter se de vita decedere simularet aut quae prae se ferret, nihil aliud se pati nisi quod oporteret et se et omnes mulieres pro viris subire aliaque ejusmodi. Quamobrem cum Wielando facio, qui cum ipse fabulam de Alcestide componeret, hanc rem commutavit, utpote quae non satis responderet nostris temporibus, neque vero Euripideam non laudat, immo illi aetati aptissimam fuisse censet. Sed in hac quoque re Wielando assentior, quod ne Euripidem quidem Alcestin ita loquentem facturum fuisse arbitratur, ut fecit, si pro alio viro moribunda erat. Ipsis Atheniensibus enim nescio an nimis copiose Alcestis visa sit Admeto beneficia sua ante oculos ponere, cum octo versibus ei explicaret, sibi licuisse non mori (multos alios enim Thesaliae juvenes nobilissimos esse, quibus nubere potuisset), eumque jure jurando adstringeret, ne aliam mulierem in matrimonium duceret. Sed Euripidem suo jure hoc fecisse idem Wielandus docet, cum dicit: „Mit einem Admet, wie der seinige, war die Vorsichtigkeit der Alceste nichts weniger als überflüssig.“ Recte quidem! Ut enim jam transeamus ad describendum Admetum, de hac certe persona Koechlyo assentiendum est censenti opponi in tota fabula Alcestin altiore mente praeditam Admeto reliquisque omnibus humiliter et sordide sentientibus¹⁾

1) „Dass der Egoismus und Materialismus — von Admetos, Pheres, Herakles verschieden vertreten, auch in einzelnen Andeutungen vom Chor ausgesprochen, ja sogar dem Apollo und Thanatos nicht fremd ist, zeigt die Analyse.“ Kœchly i. c. p. 383.

Qui cum a nonnullis viris doctis paulo severius iudicatus videatur esse, hoc tamen prorsus non intellego, quod alii eum ne dicam defenderunt, sed laudibus summis extulerunt. Quid quod Hartungius in Admeto, de quo omnes honestissimae tragoediae personae cum mera reverentia loquantur, hoc unum esse affirmat, quod rideatur, quod nimis comis sit? Eundem tamen etiam posse severum esse poetam docere rixa illa, in qua Admetus in hominem pietate sua indignum vehementer invehatur.

Verum etiam longius progressi sunt, qui Admetum omni vituperatione liberatum tanquam optimum et honestissimum virum describere studuerunt. Firnhaberus enim, ut exemplum afferam, eum dignissimum nostra benevolentia esse contendit, si quidem invito ac vel ignaro conjuge Alcestis se devoverit. Quam sententiam eis causis sustentat vir doctissimus, de quibus quid iudicem vix sciam. Nititur enim verbis ex hypothesi promptis: Ἀπόλλων ἤγησατο παρὰ τῶν Μοιρῶν, ὅπως ὁ Ἄδμητος τελευτᾶν μέλλων παράσχη τὸν ὑπὲρ ἑαυτοῦ ἐκόντα τεθνηξόμενον..., quo ex loco, cum ἐκόντα vocabulum significet „sua sponte“ vel „ultra“, dilucide apparere dicit, Admetum uxoris consilium ignorasse, quod quam perversum sit, Buchholzius luculenter exposuit: primum enim ἐκὼν non idem valere quod ἀφ' ἑαυτοῦ sive αὐτομάτως, deinde vero eo jam, quid hic locus sibi velit cognosci, quod is, qui argumentum scripserit, παράσχη vocabulo utatur; quomodo enim praebere quemquam Admetum potuisse, cum nihil sciret de re? Sed quam omnino vim habet sententia ista ex argumento allata, cum ipsa potius fabula de personis consulenda sit? quid opus hypothesi? Ex ipsa autem fabula Admetum non modo omnino scivisse patet Alcestin pro se morituram esse, sed vel diem constitutam fuisse, qua ei e vita decedendum esset. Quid? quod chorus aperte dicit

καὶ μὴν τόδε κύριον ἡμᾶρ,
ὣ̄ χρὴ σφε̄ μολεῖν κατὰ γαίας?

quod eadem fere verba ancilla pronuntiat? An putas chorum, i.

e. cives urbis, atque servos rem cognitam habuisse, Admetum ignorasse? quod cum per se non ita verisimile videtur, tum ex ipsius Admeti verbis apparet mortem uxoris diu ab eo expectatam fuisse. Herculi enim quaerenti, cur Alcestin et esse et non esse dicat, respondet:

οὐκ οἶσθα, μοίρας ἧς τυχεῖν αὐτὴν χρεών;

cui Hercules

οἶδ', ἀντὶ σοῦ γε, respondet, κατθανεῖν ὑφειμένην.

Immo vero, inquit rex; quomodo igitur adhuc est, si haec sponndit? — Sed longius etiam progredi licet. Non solum scivit uxorem mortem subituram esse, sed vel ipse ei ut pro se vita decederet videtur persuasisse. Quid enim? verba Apollinis

πάντας δ' ἐλέγξας καὶ διεξελθὼν φίλους
πατέρα τε γραιῖάν θ' 1), ἢ σφ' ἔτικτε μητέρα
οὐχ εὔρε πλὴν γυναικός, ὅστις 2) ἤθελε
θανεῖν πρὸ κείνου μηδ' ἔτ' εἰσορᾶν Φάος.

nonne aliter verti nequeunt nisi ita: „cum vero omnes expertus esset et perlustrasset amicos et patrem matremque senem, quae eum enixa est, non invenit, praeter uxorem, qui pro eo mori vellet cet.“? — Admetum igitur cum a ceteris tum ab uxore ut pro se diem supremum obiret petisse dilucide ex his versibus cognoscitur.

Hoc igitur nobis constat, Admetum minime inscium fuisse consilii uxoris, sed diu cognitum habuisse, Alcestin pro se

1) In codicibus hoc loco legitur: πατέρα γραιῖάν θ' ἢ . . . , quae verba A. Nauckius in libro, qui inscribitur „Euripideische Studien“ ita mutavit, ut scripsi. „Patrem et matrem“ enim verba non licet appositionis loco cum „amicos“ conjungi.

2) Pro ἧτις, quod codices praebent, Reiskium suo jure arbitror ὅστις conjecisse, quoniam hoc vocabulum non ad γυναικός pertinet, sed ad οὐχ εὔρε scil. οὐδένα: non invenit quemquam, qui vellet mori.

morituram esse. Quae cum ita sint primum hoc judicabimus, summae ignaviae fuisse eum hominem — virum enim vix licet dicere — qui ut ipse vitam longius produceret, uxorem probissimam ipsius loco mori pateretur. Nam si Hartungius, ut eum defendat, hanc veterum opinionem de feminis fuisse exponit, ut quisquis in eodem versatus sit periculo, quo Admetus, eadem medicina usurum fuisse existimandum sit, quod comprobaturus versus nonnullos affert, velut Iphigeniae Tauricae vv. 953 sqq. (1004 sqq. apud Kirchhoffium), ubi Iphigenia haec dicit:

οὐ μὴν τι Φεύγω γ' οὐδὲ μ' εἰ θανεῖν χρεῶν,
σῶσαι τὰ σ'. οὐ γὰρ ἀλλ' αἰὴρ μὲν ἐκ δόμων
θανῶν ποσεινός, τὰ δὲ γυναῖκος ἀσθενῆ —

vir doctissimus versus insequentes non debbat omittere, quibus ipsis gravissime refutatur. Quid enim Orestes ad haec Iphigeniae verba?

οὐκ ἂν γενοίμην, inquit, σοῦ τε καὶ μητρὸς Φανεύς.
— — — — — κοινόφρων δὲ σοὶ
καὶ ζῆν θέλοιμ' ἂν καὶ θανῶν λαχεῖν ἴσον.

sese aut domum sororem ducturum ait aut simul cum ea si moriendum sit remansurum esse. Ecce vir, qui vere vir est appellandus! Nimirum Admetus quoque prae se fert, vitam sine uxore sibi perosam esse, cum exclamat:

ἄγου με σὺν σοι, πρὸς θεῶν, ἄγου κάτω,

atque Alcestide sepulta iterum lamentatur

ζηλῶ φθιμένους, κείνων ἔραμαι,
κεῖν' ἐπιθυμῶ δώματα ναίειν

neque multo post „quid me prohibuisti, inquit, quominus me praecipitarem in sepulcrum atque apud illam optimam mulierem jacerem exanimis? duas tum animas Hades fidissimas pro una haberet!“ Quae fortitudo mortisque contemptio! egregium nimi-

rum hominem, qui vel in Tartarum descendere paratus est, dummodo sibi esset Orphei vox. Fortissima certe sunt verba, quae modo ne opus sit factis comprobare. — Neque vero Koechlyo assentiri possum, si haec et similia comicam potissimum vim habere censet; equidem ea magis taedium quam risum excitare puto. —

Sed sunt, qui hanc Admeti ignaviam excusare posse sibi visi sint, cum divitias ejus bonaque enumerarent, ut magno cum dolore vitam adeo beatam relinquendam fuisse demonstrarent, quam rationem praeter alios Goethius inquit in fabella, quae inscribitur „Götter, Helden und Wieland“. Ego vero facere non possum, quin, quae ille protulit, sagaciora quam veriora existimem esse. — Namque si Goethius omnibus rebus enumeratis, quae vitam Admeti ornarent, haec dicit: „und der sollte nicht ewig zu leben wünschen?“ — in mentem mihi venit illud Wielandi, sibi quidem hoc ab Admeto aegerrime ferri videri, quod Alcestide mortua non jam sibi sint aliae uxores, pro ipso mori paratae. — Sed in fabula neque earum rerum, quas modo attuli, ullum vestigium reperitur. neque ejus causae, qua idem vir ingeniosissimus fugit Admetum commotum esse: propter totius populi salutem, quae regis morte periret, ei cavendum fuisse, ne praemature vita decederet. Nam si re vera hae erant causae ignaviae, quid Admetum, ne patri, uxori, choro eas exponeret prohibuit, cum nunc ignaviae vitium a patre exprobratum tanto silentio praetereat, ut recte Hermauno videatur confiteri? Sed ne verbo quidem istud commemoratur. Immo vero ipsius Alcestidis juvenus, pulchritudo, venustas. divitiae enumerantur, quas relinquere non dubitaverit pro mariti salute, Admeti neque ab ipso neque a choro aut ab alio quoquam commemorantur. — Ut vero mores Admeti ab illius aetatis hominibus probati sint, tantum abest, ut et Pheretem patrem filio ignaviam crimini dantem Euripides faciat, qui „tu eis maledicis, inquit, qui tuo loco mori nolunt, cum ipse sis tam ignavus“¹⁾, et ipse Admetus

1) v. 701: — — — — κατ' ὀνειδίζεις φίλοις
τοῖς μὴ θύλουσι θανάτου· αὐτὸς δὲ κενώεις;

commoveatur metu, ne fama sibi nascatur non ita bona; cives enim malevolos sic locuturos esse ait:

*ἰδοῦ τὸν αἰσχροῦς ζῶνθ', ὃς οὐκ ἔτλη θανεῖν,
ἀλλ' ἦν ἔγηνεν ἀνειδοῦς ἀψυχία
πέφευγεν Ἄιδην. κατ' ἀνὴρ εἶναι δοκεῖ;*

Itaque praeter calamitatem etiam malam famam sibi fore; quid igitur sibi expedire vivere? ad quae cum chorus nihil respondeat, ex ipso silentio concludi potest, eum similem opinionem de rege habere. Injustissime ergo nonnulli censent, veteres de virtutibus et vitiis adeo alia sensisse, ut eum virum, cujus nos taedeat necesse est, omnino non intellexerent ignavum se prae-buisse.

Sed non modo, ut vidimus, excusari nequit ignavia Admeti, verum multo fit perosior aliis, quibus abrutus est, vitiis. Quorum unum jam commemoravimus, ostentationem dico et jactationem amoris sui erga uxorem. Ut concedamus magno amore eum Alcestin amplexum esse — sunt autem, qui nec id quidem ei tribuant, veluti Koechlyus. qui propter chœri verba (v. 463 sqq.)

εἰ δέ τι καινὸν ἔλοιτο λέχος πόσις κ. τ. λ.

fidem Admeti in suspicionem vocat — sed ut hoc concedamus: quae magis inter se aliena sunt, quam hoc. uxorem ad mortem adducere, cum ipse facile potueris eam servare, atque deinde lamentari et prae se ferre. mortem multo dulciorem esse vita aliaque hujusce modi, quae vere taedio nobis sunt. Sed haec excusari poterunt nimio quodam dolore. Quid? quod ad ignaviam ea petulantia accedit atque impudentia, ut rixa illa inter patrem et regem orta, ut Buchholzii verbis utar, „non tam bilis quam taedium moveatur et hic quidem (sc. Admetus) aures nostras eo magis violet maleque habeat, quo magis ejus verba decent eum, generosam uxorem elaturus est.“ Vix credi potest, hominem, qui ipse tautae ignaviae crimen admiserat, in patrem asperrime invehi atque jactari: „non sum tuus matrisque, quae dicitur, filius, sed

— -- — δουλίου ἀφ' αἵματος
inquit μαστῶ γυναικὸς σῆς ὑπεβλήθη λαθρα.

Recte quidem istud! Bene Admetus Apollinis amici illud „γνώσι σεαυτόν“ animo videtur infixisse! nam servi magis quam ingenui hominis mores et ingenium ei sunt. — Cumque idem homo miserrimus patri diras imprecatur: „Iove diutius viveret, quoniam longe vitae adeo cupidus esset“ (at ipse credo vitam parvi aestimat!), cum denique parenti respondet, mortem uxoris esse

σημεῖα τῆς σῆς, ᾧ κάκιστ', ἀψυχίας

aut de eodem

ἢ τάρρα, inquit, πάντων διαπρέπεις ἀψυχία,

tam abjectum hominem se praebebat, ut totus nobis sit despicatui necesse sit.

Prorsus vero quid iudicem nescio de his verbis, quibus Admetus patri pravitatem ingratumque animum crimini dat: οὐ μὴν ἐρεῖς γέ μ' ὡς ἀτιμάζοντα σὸν γῆρας θανεῖν προὔδωκας¹, ὅστις αἰδόφρων πρὸς σ' ἦν μάλιστα, κἀντὶ τῶνδέ μοι χάριν τοιάνδε καὶ σὺ χῆ τεκοῦσ' ἠλλαξάτην.

Suntne haec ridicula magis an foeda? impudentiam magis an delirationem ostendunt? Videamus enim, quid praeclarissi-

1) In plerisque codicibus eisque optimis hi versus ita leguntur:

οὐ μὴν ἐρεῖς γέ μ' ὡς ἀτιμάζων τὸ σὸν
γῆρας θανεῖν προὔδωκά σ' κ. τ. λ.

Haec vero intellegi omnino nequeunt. Ut enim nihil dicam de μ' vocabulo, quod etiamsi similes nonnulli loci a viris doctis allati sunt, difficultatem quandam praebebat — quinam sensus inest in verbis: „non me dices senectute tua despecta morti te tradidisse?“ Num Admetus patrem ad mortem compulit? minime! sed se ipsum a patre ad perniciem adduci queritur. Quae cum ita sint non dubito cum Hartungio verba ita legere, ut in codicibus deterioris notae (B, C) extant.

mus vir de se profiteatur: sese verecundia summa erga patrem semper usum praemii loco ab eo in mortem compelli

O filium praestantissimum! quantam igitur patrem ei gratiam debere putabimus, qui eum non offendit, non injuria adfecit, non verberavit denique! Pro hac tanta virtute pater nequissimus adeo non refert gratiam, ut ne mori quidem ejus loco velit! Quae pravitas, di immortales! nimirum pater ille tam ingratus jure filio, cujus merita eximia tam male compensata sunt! — Quid opus est nova proferre? his qui non commovetur, omnino commoveri aut nequit aut non vult; quodsi Hartungius Admetum his verbis severitatem adhibere in parentes pietate sua indignos arbitratur, non possum, quin virum doctissimum opinione praejudicata ductum nolle videre censeam, quae luce clariora sunt.

At sunt quoque, quae laude digna videantur in Admeto, velut egregia hospitalitas, per quam vel summo luctu hospitem dimittere vetatur; atque quamquam dicere possis, facile esse, liberalem se praebere, dum sibi satis multa sunt, unde sumas, tamen non assentior Koechlyo, qui ne hanc quidem virtutem ei tribuit, sed propterea Admetum liberalem in Herculem esse suspicatur, ut et ipse ab Hercule cum liberalitate excipiatur, id quod concludit e verbis:

αὐτὸς δ' ἀρίστου τοῦδε τυγχάνω ξένου
ὅταν ποτ' Ἄργους διψίαν ἔλθω χθόνα,

quibus tamen ex verbis non existimo illud conici posse — Hoc denique si consideramus, cives ei magno amore deditos esse, ita de eo judicabimus: Admetus est homo bonitate quadam praeditus, — melius nostrae lingua vocabulo „Gutmüthigkeit“ id significatur, quod in utramque partem verti potest, quod verbum nescio an latine uno vocabulo exprimi non possit, atque etiam nostrum „Egoismus“ melius respondet Admeti moribus, quam ille „amor sui“ —, totus tamen sui ipsius amore repletus. Ab his duabus rebus omnia repetenda sunt,

quae eum facientem videmus. Hospitalis est atque liberalis; benignus erga suos; uxoris amantissimus; — sed omnium hominum et rerum maxime semet ipsum diligit. semperque sese omnibus anteponit, ad suam quaeque refert utilitatem. His de causis ut pater aut mater aut quisvis alius pro se mortem subeat postulat, ob easdem res ne uxorem quidem ad mortem compellere veretur — ipsius nimirum vitae periculum adest; propter easdem denique causas omnia uxori pollicetur se facturum. quae vult, lamentaturque, se nunquam aliam amaturum, immo statuum ejus in lectum recepturum esse — quae cuncta minime simulata esse putandum est —; ac vel in Tartarum ipsum descenderet, modo ne ipse in periculum se praecipitare coactus sit. Bonitate igitur et amore sui mores Admeti mihi videntur contineri.

Iam ut ad ceteras personas transeamus, Hercules quidem ut a Wielando recte describatur dicente „des Euripides seiner (sc. Hercules) ist der Hercules der schönen Omphale, der immer bereit ist, den Ruhm seines Heldenlebens an das Vergnügen eines Augenblicks zu setzen. Er ist nicht mehr als ein alltäglicher Mensch“, tantum abest, ut nesciam an excepta Alcestide perfectissima fabulae persona sit. quae magna delecta ione nos afficiat necesse est. Primum enim celeberrimum illum heroem ad novum certamen contra crudelissimum regem proficiscentem adspicimus fortitudinemque viri nullum periculum formidantis admiramur. Tum veram ejus honestatem cognoscimus, qui funere conspecto statim domum hospitis relinquere constituat, nam

αἰσχρὸν, inquit, παρὰ κλαίουσι θοινᾶσθαι φίλοις,

neque commovetur ut maneat, nisi simulatione Admeti peregrinam mulierem sepeliri. — Sequitur objurgatio servi, quam summa voluptate spectatores adfecisse puto; servus enim, qui Herculi famulus tributus est, gravissime conqueritur illius impudentiam, qui in tanto luctu edat bibatque „ἄμους ὕλακτῶν“ neque contentus datis etiam plura poposcerit; paulo post Hercules ipse prodit coronatus. neque vero ebrius est, sed ut Hermannus recte

dicit, paulum incaluit vino, nec stolidi atque absurda loquitur, ut nonnulli censent, sed quae etiam sobrius homo sentiat, qui inter mortis pericula vitam agens praesentia tantum sua esse intelligat. Quodsi is vir, qui quotidie in vitae discrimine versabatur, ea pronuntiat, quae fere eisdem verbis Horatius persequitur:

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
 Quem fors dierum cunq̄ue dabit, lucro
 Appone nec dulces amores
 Sperne, puer, neque tu choreas
 Donec virenti canities abest
 Morosa —

cur poeta admirationi est, vituperatur Hercules? — Simulatque vero per servum certior factus est, Alcestem mortuam esse, statim heroem fortissimum se praestat, cujus hilaritatem non esse levitatem hominis vani atque voluptatibus dediti apparet. Etenim ne Orcum quidem ipsum adoriri veritus mox Admeto uxorem reddit. — Hoc igitur nobis constat, Herculem esse ea et hilaritate animi et fortitudine, ea ingenuitate mortisque contemptione, ut summopere eo delectatos esse spectatores existimandum sit; itaque plane non assentimus Wielando aliisque, qui eum satyrum magis quam hominem esse volunt. —

Pheretem autem quasi duas partes agere iudico. Primum enim quaecunque eloquitur, probanda sunt. An injuria eum putabimus filium vituperare, qui tot tantisque bonis ab eo acceptis ut vitam quoque pro se dederet postulavit? nonne autem suo jure in filium tam impium invehitur eique ignaviam exprobrat turpissimam? in priore igitur rixae illius parte non puto fore quemquam, quin cum sene faciat. At subito tam humiliter loquitur, tam, ut dicam, abjecte, ut prorsus alius esse videatur, qui haec dicit:

κακῶς ἀκούειν οὐ μέλει θανάοντι μοι

atque qualem antea Pheres se praebuit. —

Reliquarum personarum ut brevi mentionem faciam, Apollo, quem, quod rei totius auctor esset, idoneum fuisse Hermannus recte adnotat prologo agendo excitandaeque spei de auxilio Herculis, amicissimum Admeto se praestat, cui ut opem ferat, ne Orci quidem contagionem reformidat.

Orcus autem ita depingitur, ut revera *θάνατος* est: severus et inexorabilis. Quod vero Koechlyus ex eo, quod Hercules dicit

— — — καί νιν εὐρήτειν δοκῶ

πίνοντα τύμβου πλησίον προσΦαγμάτων,

concludit Orcum potorem quendam et animo humili atque illiberali esse, lepida ut sit conjectura, certo facetior quam verior est. Veterum enim sententia, ut ceteros deos, ita Orcum quoque dapibus libatis frui solitum esse, nimis notum est, quam de quo verba facienda sint. An etiam umbrae, cum sanguinem ovium bibant humiles vel illiberales sunt?

Restant ancilla, de qua nihil addendum est, Eumelus, qui mollissima lamentatione vehementer spectatores commovisse putandus est, servus, qui cum invehitur in *ξένον, πανούργον κλώπα καὶ λήστην τινά* valde nos delectat.

Chorus denique constat e viris Phraeis; senes enim non esse significatos infra demonstrabimus.

Haec hactenus de personis! —

Transeamus ad investigandam fabulae indolem. De qua, ut dixi, quatuor potissimum sententiae prolatae sunt; prima, Alcestin esse tragoediam, id quod Wielandus, Hermannus, Hartungius, Firnhaberus, Wagnerus tuentur, altera, accedere ad comoediam, ut Koechlyus voluit, tertia, fabulam satyricam esse, quod Hedelinus, Lessingius, Denina alii censuerunt, quarta, esse medium quoddam inter tragoediam et comoediam. Atque hanc sententiam plurimi recentissimae aetatis viri docti protulerunt, velut Duentzerus,¹⁾ O. Muellerus,²⁾ Rauchensteinus,³⁾ Buchholzius.

1) De Euripidis Alceste. In: Neue Jahrb. für Philol. u. Pädag. 5. Suppl. Bd.

2) Geschichte der griechischen Literatur. Tom. 2 p. 157.

3) Die Alceste des Euripides als besondere Gattung des griechischen Dramas. Aarau.

Hae igitur sententiae nobis examinandae sunt. Cumque neminem majore auctoritate esse existimem in definiendis artis poeticae legibus, quam Aristotelem, hunc potissimum consulamus, (eandem quam Wagnerus aliique viam ingressi) ut quae Alcestidis indoles quantique illa fabula aestimanda sit cognoscamus. Quodsi primum ea quaestio existit, num Alcestis in tragoediarum numero habenda sit, inquirendum nobis est, utrum legibus ab Aristotele investigatis respondeat necne. Omissis igitur eis rebus ad tragoediam componendam necessariis, quae non pertinent ad rem, de qua agimus, velut certum temporis spatium retinendum esse, aliis, tragoedia his verbis definitur (Poet. c. 6). ἔστιν οὖν τραγωδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἐκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, δι' ἠλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. Quae ut accuratius exponat, primum id maxime poetae servandum esse docet, ut actio una sit, quam ad rem non satis esse, de una persona fabulam agere; nam μῦθος, inquit (c. 8) ἔστιν εἷς, οὐχ ὥσπερ τινὲς οἴονται, ἐὰν περὶ ἓνα ἢ πολλὰ γὰρ καὶ ἄπειρα τῶ ἐνὶ συμβαίνει, ἐξ ὧν ἐνίων οὐδὲν ἐστὶν ἓν. οὕτω δὲ καὶ πράξεις ἐνὸς πολλαὶ εἰσιν, ἐξ ὧν μία οὐδεμία γίνεται πράξις. Propterea eos vituperandos esse ait, qui res ab Hercule, quippe ab uno gestas, una fabula describere licere putent; χρὴ οὖν, inquit, τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησις ἴστι, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης, καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν πραγμάτων οὕτως ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους ἢ ἀφαιρουμένου διαφέρεισθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον. Neque minus id cavendum esse, ne περιπέτεια non moveat misericordiam aut metum, nam δῆλον inquit (c. 13) ὅτι οὔτε τοὺς ἐπισεικῆς ἄνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν . . . οὔτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ ἀτυχίας εἰς εὐτυχίαν (ἀτραγωδότερον γὰρ τοῦτ' ἐστὶ πάντων. οὐδὲν γὰρ ἔχει ὧν δεῖ. οὔτε γὰρ Φιλάνθρωπον οὔτε ἔλεεινὸν οὔτε Φοβερόν ἐστιν) οὐδ' αὖ τὸν σφόδρα πονηρὸν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταπίπτειν. Restare igitur eum, qui neque omnino nequam nec

prorsus bonus sit: ἔστι δὲ τοιοῦτος ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων καὶ δικαιοσύνη, μήτε διὰ κακίαν καὶ μοχθηρίαν μεταβάλλον εἰς τὴν δυστυχίαν ἀλλὰ δι' ἀμαρτίαν τινά. Patet igitur oportere „τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἀπλοῦν εἶναι μᾶλλον ἢν διπλοῦν... καὶ μεταβάλλειν οὐκ εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας, ἀλλὰ τούναντίον ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν, μὴ διὰ μοχθηρίαν ἀλλὰ δι' ἀμαρτίαν μεγάλην ἢ οἴου εἴρηται ἢ βελτίονος ἢ χειρόνος. Qua de causa ipsum Euripidem, quia plurimae ejus fabulae tristem eventum habeant τραγικώτατον poetarum Aristoteles censet. — His fere expositis de fabulae compositione Aristoteles transit ad personarum ingenia, de quibus quatuor leges servandas esse dicit, ut sint χρηστά, ἀρμόττοντα, ὅμοια, ὁμαλά. Deinde ut quae de agnitione atque de traegoediarum generibus disserit, praetermittam, in omnibus tragoediis necesse esse et πλοκή sit et λύσις. —

Haec fere sunt, quae ab Aristotele maxime premuntur. Quae in Alcestide servata esse plane negandum arbitror. Actio enim primum non videtur una esse, sed duae, si quidem Aristotele auctore non satis est, de una persona agi. Quae tandem, quaeso, necessitas interest inter mortem et reditum Alcestidis? an hunc necessario illam sequi putas? nonne igitur duae diversissimae actiones sunt? Hoc quidem concedo, usque ad versum 475 Alcestin ad tragoediam prope accedere, qua vere describatur una res perfecta, quae etiam misericordiam et metum commoveat, persona autem tragoedia dignissima. Cum vero illi versus ne dimidiam quidem totius fabulae partem expleant, hoc primum impedimento est, quominus tragoediam eam putemus esse, quod post Alcestidis mortem res plane nova depingitur. quae nulla necessitate cum superiore parte conexa est. Quod quidem ipse Hermannus concedit, cum illud in argumento valde iucommodum esse dicit, quod haec non unius, sed duarum fabularum materia sit, quarum altera obitum Alcestidis, altera reditum ab inferis contineat. Euripidem vero, cum sicut ceteri Graecorum poetae tragici magis senserit, quam sciverit, quid esset tragoedia, om-

nem rem una tragoedia comprehendendam putavisse, quoniam hoc argumentum duabus continuis tragoediis exponere perdifficile fuerit.

Quid vero dicam de misericordia atque de metu, quo tragoediae personam primum nos commovere oportet — nequit enim ἡ περιπέτεια commovere nisi personarum rebus secundis aut adversis. — Num igitur Admetus nos commovet? Nam Alcestidi primas partes, quamquam ab ea fabula nomen traxit, non existimo tribuendas esse, utpote quae in priore jam fabulae parte haud ita multa elocuta scaenam relinquat. At de Alce-stide, dicat quispiam, tota res est, omniaque quae dicuntur et aguntur, ad eam potissimum spectant. Recte quidem! sed vel in mortui alicujus sorte fabula versari potest neque ideo mortuus ille prima fabulae persona appellandus est. Quid? quod in Antigona de Polynicis corpore humando tota res agitur? Quod ne sepeliretur cum Creon imprasset, virgo autem praeclearissima regi resistere ausa esset, in hac ipsa re ἡ πλοκή a poeta instructa est. Eodem modo Alcestidis mors primo loco posita est, Alcestidi ipsi non tribuendae sunt primae partes. Fingamus enim, Alcestin, id quod facillime poeta efficere potuit, initio fabulae jam mortuam esse, num etiam tum primam personam eam futuram fuisse censebimus? Itaque non dubito, Admeto primas partes tribuere. Admetusne igitur misericordia dignus est? Dignissimum esse Firnhaberus contendit quippe ignarum uxoris consilii. Sed quoniam antea jam exposuimus, hanc opinionem prorsus reiciendam esse, nullo modo eum misericordia dignum esse judicabimus. Nec fore quemquam credo, quem hominis tam ignavi misereat. Tamen ne opinione ante temere concepta judicare videar, eundem Aristotelem afferro, qui (c. 13) haec dicit: ὁ μὲν (sc. ἔλεος) γὰρ περὶ τὸν ἀνάξιόν ἐστι δυστυχοῦντα. Num igitur eum immerito in miseria versari putas, qui uxorem cum servare liceret ipse in mortem compulit? Qui si mortem fortiter subisset, jure misericordia dignus esset; cum ignave eam fugerit, est indignissimus.

Ac ne metus quidem unde oriri possit perspicere possum. Ex ipso enim prologo Alcestidi moriendum esse cognoscimus; mox prodit in scaenam paucisque verbis factis e vita decedit. Quid metuendum igitur? an metuere omnino potes, quod jam pro certo habes eventurum esse? nonne potius dubitatione ista: „quomodo eveniet res? utrum felicem an tristem habebit exitum?“ metus nascitur? Ut enim aliam tragoediam afferam, nescio an nulla fabula magis misericordia metusque commoveatur, quam Antigona. Quanto enim metu spectatores adfectos fuisse existimandum est, cum Creontis iram, ejusdem tamen dubitationem viderent, num virginem nobilissimam occidere liceret; cum Haemonis preces audirent, cum denique Tiresias regem dehortaretur, ne tanto facinore iram deorum excitaret. Tum nuntius in scaenam prodit atque spectantium animis ad summam expectationem excitatis atrocem virginis et Haemonis interitum narrat. En tragoedia vera metum movens — nam de misericordia aliquid addere supervacaneum videtur — cujus rei in Alcestide nihil invenitur. Nam etiam in funere efferendo, in rixa, in Herculis adventu epulisve quid metuendum est? nisi forte quispiam postrema fabulae parte spectatores metu adfectos esse dicit, quam longe alio consilio ab Euripide scriptam esse videbimus.

Sed de metu quoque Aristotelem liceat afferre, qui praescribit, ut sit φόβος περὶ τὸν ὅμοιον, i. e. eum, qui nostri similis sit. Admeti vero, ut Buchholzii verbis utar, profecto sentimus nos non esse farinae; sentimus nos longe secus acturos fuisse atque illum; sentimus nos minime eos esse, qui carissimum caput tam inhumane prodere possimus.

Tertium hoc Alcestidi, si quidem tragoedia est, crimini dandum est, quod in eam cadunt Aristotelis verba: οὔτε τοὺς ἐπιεικεῖς ἄνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν, οὔτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ ἀτυχίας εἰς εὐτυχίαν. ἀτραγωδότερον γὰρ τοῦτ' ἐστὶ πάντων. Nonne enim Admetus jure μοχθηρὸς appellandus nobis visus est? tamen ad

summam felicitatem adduci eum cernimus, cum Alcestis, quae certe „ἐπιεικής“ cognomine digna est, in perniciem irruat. At dixerit quispiam Admetum non μοχθηρόν esse, sed in eorum numero habendum, quos postremo Aristoteles describit, ut *non διὰ κακίαν καὶ μοχθηρίαν, ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν τινά* in calamitatem inciderit, quam sententiam Wagnerus protulit. Quem tamen Buchholzius argutissime refutasse mihi videtur. Neque enim, inquit, ignavia Admeti, quam ne Wagnerius quidem denegat, ἁμαρτία est, sed ut pro mero peccato habenda sit, tantum abest, ut tanquam nota in omne tempus homini inusta cum eo velut coaluisse videatur ac perpetua et sempiterna labe eum afficiat. Itaque non temporarius animi motus Admeti ignavia est, sed in medullis ejus et visceribus haeret; non semel misellus homo sic peccavit, sed si res ita ferret, iterum ac tertio idem delinqueret.“ — Ex his jam, quae explicavimus, Admetum non esse personam tragicam totamque fabulam a tragoedia longe abesse videmus. Idem affirmatur quatuor illis virtutibus, quibus poetam personas exornare Aristoteles jubet, ad Admetum relatis. Num enim *χρηστός* est? minime, si quid recti de moribus ejus vidimus. An *ἀρμόττων*? ne id quidem. Convenire enim viro atque regi, mortem ita timere, ut deinceps omnibus amicis, ut pro se diem supremum obirent, obsecratis gaudeat, quod uxor parata sit morte appetita sibi vitam condonare, quis est qui contendat? an mulieri magis convenit, quam viro mortem contemnerere? Ac ne *ὄμοιον* quidem Admetum esse putamus, si quidem paucos inventum iri spero, qui tales se praebeant, qualem Admetus. Plurima enim cum exempla tradita sint eorum, qui ut uxores liberosque defenderent, ipsi in summa pericula sese praecipitarent ac vel mortem pro suorum salute oppeterent, quid dubitandum est, quin ut vitam tanto pretio emant, haud ita multi adduci possint? — De *ἀνωμαλία* denique jam supra verba fecimus, cum de Pherete disputarem; eadem invenitur, ut nihil dicam de Hercule, quem et heroem fortissimum et potorem hilarissimum poeta describit, etiam in Admeto, qui modo bene-

volentem, modo severum et atrocem, modo uxoris amicorumque modo sui ipsius amantissimum se praebet. — Quid igitur? Alcestin non esse tragediam nonne ai paret? Itaque longe a veritate aberrare censebimus Godofr. Hermannum, omnia eo conspirare iudicanti, ut vel secundum in tetralogia locum vel tertium tenuisse Alcestis videatur. „Utrique enim, inquit, apta est: secundo propter eximiam numerorum modorumque suavitatem et mollitiem, tertio propter terrificam speciem Orci, pallentemque imaginem feminae ab inferis reducis, quae muta adstans nec vivae mulicri neque umbrae similis est“. Quod iudicium quam alienum sit a vero, cum e fragmento illo didascalico patere jam supra exposuerimus, nunc ex ipsa quoque fabula perspicuum esse comprobasse nobis videtur. Cunctas enim tragicorum Atheniensium tetralogias e ternis tragoediis, singulis fabulis satyricis compositas fuisse inter omnes constat. Itaque si poeta eo recedebat a more, ut non merum drama satyricum ederet, tamen hoc semper videtur ab omnibus servatum esse, ut quarta fabula a cothurni severitate ad socci levitatem sensim deflecteret. Atque id quidem etiam Alcestride Euripidem efficere voluisse cum multis aliis fabulae partibus comprobatur tum extrema, quam ne Hermannus quidem negat cum gravitate tragoediae non satis convenire.

Quae cum ita sint, mirum videtur, etiamnunc viros doctos Alcestin ad cothurnum revocare studere; nos certe e tragoedia-numero eam excludendam esse tenebimus.

At ne comoediam quidem Alcestin esse ex ipsa fabulae indole satis dilucide patet. Iterum enim Aristotelem sequentibus hoc potissimum inter comoediam et tragoediam discrimen intercedere videtur, quod „ἡ μὲν χεῖραυς, ἡ δὲ βελτίους μιμείσθαι βούλεται τῶν νῦν“ (c. 2); neque vero omnino ait hoc valere, sed comoedia est „μίμησις, inquit, (c. 5) Φαυλοτέρων μὲν, οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλὰ τοῦ αἰσχροῦ, οὗ ἔστι τὸ γελοῖον μόριον“, alioque loco (c. 4) de Homero dicit: „τὰ τῆς κωμῳδίας σχήματα πρῶτος ὑπέδειξεν, οὐ ψόγον, ἀλλὰ τὸ γε-

λοῖον δραματοποιήσας“. — A qua comoediae descriptione quam longe abest fabula, de qua agimus! Ut enim nihil dicam de Alcestide ipsa, quam personam vere tragicam esse jam exposuimus, ut taceam de Eumeli tenerrima lamentatione, ut denique ipsum Admetum silentio praeteream, qui pravitae sane non caret, ridiculi ne minimum quidem praebet: — quid tandem de tota fabulae actione dicemus? num ad risum movendum prologus habetur Orcusque in scaenam prodit? an soccum redolent mors, funus Alcestidis? an denique praeter unum Herculem, persona ulla comica invenitur? nam servus ille, qui Herculis intemperantiam conqueritur, nimis secundas partes agit, quam ex quo fabulae indoles cognosci possit, suntque etiam tragoediae, in quibus servus aut talis aliquis comicas partes suscipiat, velut custos in Sophoclis Antígona. —

Sed ne Koechlyus quidem meram comoediam eam esse censuit. alii viri docti de comoedia omnino non cogitaverunt. Ille autem vir doctissimus opinatur, Euripidem hac fabula spectatoribus primum ante oculos posuisse exemplum justae cujusdam et omnibus fere numeris absolutae tragicomoediae. „Ex quo enim tragoediarum personae a sublimi illo Aeschylī quasi cothurno et mythorum epicorum magnificis exemplis paulatim descenderent et ad eorum hominum, qui tum essent, mores et sententias a poetis conformarentur, argumenta autem ea, quorum tractatio satyricis fabulis optime conveniret, a poetis trita sensim obsolescere et spectatoribus aliquid fortasse taedii afferre coepissent, facile fieri potuisse, ut poeta aliquis, novatarum illarum tragoediarum exemplis motus, etiam in Satyrorum et Silenorum locum novos quasi quosdam partium agendarum vicarios sufficere animum induceret. atque hoc commode e quotidianis illis civium plebejorum circulis sumi posse opinaretur.“¹⁾ Quod eo modo assecutus est vir ingeniosissimus, ut omnes personas excepta Alcestide ipse in jocum vocaret verbaque eorum

1) Bandixen „de Alcestide Euripidea“ (Altonae MDCCGLI) p. 6.

in risum verteret. Quem cum jam Rauchensteinus, Bendixenius, Buchholzius summa subtilitate refutaverint, opera supersedere posse videor causas eorum repetere. Ex iis tamen, quae Koechlyus ad sententiam suam affirmandam protulit, liceat id unum commemorare, de quo jam supra verba fecimus, virum doctissimum fragmenti illius *κατασκευήν* vocabulum premere.

Fragmenti enim auctorem Alcestin cum Oreste conferre apparet, tanquam eadem fere utrique fabulae indoles sit. Cum igitur Koechlyus Orestem nullo modo comoediam appellari posse, ipse concedat, hoc verbo *κατασκευήν* utitur, ut Alcestin vel grammatici illius sententia ab Oreste nescio quam longe abesse demonstret. Orestis enim solam *καταστροφήν* i. e. conversionem actionis, Alcestitis vero totam *κατασκευήν* sive conformationem comicam esse e didascaliiis patere dicit.

Ut vero concedam, quod quidem nullo modo certum est, de integritate illius scholii non dubitandum esse, nimis tribuere V. Cl. videtur auctoritati didascaliarum, quae quotiens erraverint, ex ipso Alcestitis argumento apparet. Quid enim? argumento fides nonne deneganda est, si chorum e senibus compositum fuisse docet? („*συνέστηκε δὲ ὁ χορός ἐκ τινῶν πρεσβυτῶν ἐντοπίων.*“). Nam iniuria ex uno versu (212):

σὺ δ' εἶ παλαιὸς δεσπότης ἐμοῖς φίλος

eum qui didascaliam scripsit, coniecisse senes his verbis significatos esse Bendixenius luculenter exposuit; neque enim eundem esse veterem amicum ac senem necesse esse. Contra cum e multis aliis locis dilucide apparere, chorum e viris nondum matrimonium expertis constare tum ex verbis, quae chorus ut Alcestin laudibus efferat, pronuntiat (473 sqq.):

τοιαύτας εἶη μοι κῦρσαι
 συνδυάδος Φιλίας ἀλόχου· τοῦτο γὰρ
 ἐν βίῳ σπάνιον μέρος· ἢ γὰρ ἄν ἐμοίγ' ἄλυπος
 δι' αἰῶνος ἄν ξυνεῖη.

Itaque non dubito contendere, didascaliae auctorem et in illa re a veritate aberrasse et eo, quod dicit: *παρ' οὐδετέρω κείται ἡ μυθοποιία*, quibus verbis neque Aeschylum neque Sophoclem de hoc argumento fabulam composuisse significare vult. Plutarchus enim cum (de def. orac. 14) scribat:—

οὔτε ὁ Σοφοκλέους Ἄδμητος
οὐμὸς δ' ἀλέκτωρ αὐτὸν ἤγε πρὸς μόλην,

Sophoclem Alcestidis mytho usum esse patet, ad quam sententiam firmandam Welckerus in libro, quem de tragoediis Graecorum scripsit, alios quoque versus attulit, quos ad Sophoclis Alcestin pertinere vir clarissimus evidenter ostendit.

Quae cum ita sint, ea ratione didascalii utendum esse existimo, ut eas sequamur, quoad fieri potest, neglegamus, ubi aliis causis contraria discimus; quamobrem Koechlyo ex illo *κατασκευήν* vocabulo de Alcestidis indole aliquid conicienti ut assentiar adduci nequeo.— Ceterum nos quidem cum Kirchoffio non *κατασκευήν* legere, sed *καταστροφήν* supra exposuimus.—

Haec hactenus de Koechlyi sententia. Venimus ad eos, qui Alcestin fabulam satyricam esse voluerunt, quam sententiam cum nunc, quantum equidem sciam, nemo retineat, brevi sermone tractare licet.

Maxime certe dolendum est omnes fere fabulas satyricas perisse. Tamen si ex ea, quae nobis tradita est, de toto isto fabularum genere conjecturam facere licet, Alcestitis ut eo pertineat multum abest. In Cyclope enim Ulixem videmus captivum apud Polyphemum, Cyclopem stultum et agrestem. Adsunt Silenus et Satyri et ipsi captivi cupidissimi bibendi edendique, interdum a Cyclope castigati, semper cum eo facientes, cui fortuna favet. Mox Cyclope oculo privato callidissimus vir et se ipsum et Satyros e servitute liberat. Quae quam facete, quam salse, quam lepide depicta sunt! In Alcestitide vero ubi sunt Satyri, ubi Silenus, ubi jocus hilaritasque, ubi cavillationes bi-

bendique cupiditas monstrorum illorum? „Hercules enim male ut in dramate satyrico personam suam tuetur ac parum sibi constat, quippe qui initio jocosum hilaremque et ut ita dicam, prope satyricum, mox tamen generosum vereque heroicum se ostendit. Partim igitur cothurno, partim socco dignus videtur.“¹⁾— Quae cum ita sint, nulla causa est, cur Alcestin drama satyricum putemus esse. —

Restat quartum illud, Alcestin medium aliquod esse inter tragoediam et comoediam, aut, id quod jam Eichstaedtius in libro, quem de dramate Graecorum comicosatyrico scripsit, censet, „Alcestin ad illud dramatum genus accedere, quod Ifflandi hodie aliorumque studiis perpolitum et in usus revocatum, Dramatum s. Spectaculorum angustius dictorum nomine celebratur“, cui generi vir doctissimus etiam Aeschylus Persas, Euripidis Orestem, Iphigenias, Andromachen, alias hujusmodi fabulas subici licere arbitratur, „in quibus tragica Musa descendisse nonnunquam videatur e fastigio suo, vires consulto extenuans, ad levandam doloris miserationisque acerbitatem hilariores intericiens et *χαρακτῆρας* personarum et sermones loquentium exitusque tristitiam insperata rei mitigans conversione.“ Similiter Wagnerus: „Videtur, inquit, Alcestis ex nostra ratione dici posse pertinere ad medium quoddam genus inter tragoediam et comoediam, quod nostrates drama dixerunt *κατ' ἐξοχήν* (Schauspiel).“ — Ad eandem denique sententiam, ut alios omittam, Buchholzius accessit, qui quaerenti, quid Alcestis sit, respondet: „Quippe mira farrago est, quacum vix habeo, quid comparem: fabula est, quae varie nos afficit, quae nunc lacrimas concitat, nunc risum movet, nunc propter personarum vitia male nos habet ac summopere offendit; quae a tragoedia, quae a comoedia, quae a dramate satyrico diversissima quaeque mutuatur, nec tamen ad ullum horum generum pertinet; quae modo cothurnum spirat modo soccum redolet; quae nunc grande dicendi

1) E. Buchholz l. c. p. 20

genus exhibet nunc ad vulgarem prope sermonem descendit; quae denique id spectat ut tragoediae dignitatem et comoediae lasciviam inter se conjungat et quasi reconciliet, sicque turbatam animorum aequitatem in integrum restituat.“ — His virorum doctorum sententiis omnibus fere eodem spectantibus prorsus me adsentiri profiteor maximeque Buchholzii judicio subscribo, qui quod consilium Euripides in Alcestide fabula componenda secutus sit, tam egregie expressit, ut vix quicquam addendum videatur. Tamen a Buchholzio in una re dissentio, de qua priusquam disseram ea commemoranda videntur, quae non pauci viri docti de fabulae „idea,“ quam vocant, protulerunt, quae tamen breviter tantum perstringam. Atque Brumoeus¹⁾ quidem hoc fabulae propositum esse cersset, ut virtutem praemio affici discamus. Quod ipsum tamen cum permultis aliis quoque fabulis demonstratur, non video, cur in hanc potissimum cadat. Prorsus vero errasse puto Wagnerum conicientem, Euripidem, quoniam non admodum faveret puellis ob eamque rem ab Aristophane reprehenderetur, hoc crimen a se amoliri studuisse hac tragoedia κατ' εὐχὴν mulierum conscripta. Quae cum mera conjectura nituntur, tum eo refutantur, quod in ipsa hac tetralogia inveniuntur quae a poeta maxime contumeliose in mulieres pronuntientur, si minus in ipsa Alcestide — quamquam etiam in hac fabula quantuli matrimonium aestimet, Euripides docet, cum Pheretem dicentem faciat: — — Φημι τοιούτους γάμους λύειν βρότοισιν ἢ γαμεῖν οὐκ ἄξιον — tamen in ceteris tetralogiae fabulis. Quid? quod in Cressis, ut exemplum afferam, haec exstant verba:

οὐ γὰρ ποτ' ἄνδρα τὸν σοφὸν γυναικὶ χρῆ
δοῦναι χαλινοῦς, οὐδ' ἀφέντ' εἶν κρατεῖν.
πιστὸν γὰρ οὐδέν ἐστιν· εἰ δέ τις κυρεῖ
γυναικὸς ἐσθλῆς, εὐτυχεῖ κακὸν λαβῶν.

1) Théâtre des Grecs. To. 6. p. 381 sqq.

Quodsi Wagnerus hos quoque similesque versus „κατ' ἐὺχῆν“ mulierum scriptos esse censet, rectum eum de Euripidis proposito vidisse concedam, alioquin ut cum eo faciam adduci nequeo. —

Ac ne Duentzero quidem assentiendum est, eo consilio Alcestin a poeta compositam esse iudicanti, ut neminem libenter mori ostenderet, cui Buchholzius eodem jure dici licere recte opponit, Prometheus eo consilio ab Aeschylō esse conscriptum, ut neminem libenter Caucaso affigi dilucide ostenderet. —

Omissis autem aliis sententiis de eadem re prolatis in universum Buchholziō adsentior, qui lubricum esse dicit, fabulae quaequae est, talem ideam, quam vocant, obtrudere, de qua poeta vix cogitaverit. —

Aliud est, quod viri docti unam eandemque materiam omnibus tetralogiae fabulis eo modo tractatam esse censent, ut, si Bernhardyi¹⁾ verbis uti licet, — „die nebeneinander geordneten Tragödien. jede in ihrer Weise, durch einen darüber stehenden, allen gemeinsamen, aber rein abstracten Gedanken bedingt und getragen werden.“ Hac ratione usus Schoellius hujus tetralogiae fabulis mulierem describi exponit, ita quidem, ut prima tragoedia per feminam libidinosam Atrei donum perisse demonstratur, altera mulierem (ingenuam), nimis autem confidentem opponat poeta petulanti, tertia virilis quasi femina, quarta vera mulier se ipsam dedens pro viri salute depingatur. Praeterea omnibus fabulis hospitalitatem focique sanctitatem describi, quam Atreus malo dolo Thyesti praebeat, Phegeus summa pietate servet; Telephum a Clytaemnestra hospitio accipi, Herculem denique ab Admeto. — Similiter Bernhardyus „Man ist geneigt, inquit, in der Didaskalie der Alcestis eine vierfache Darstellung des Weibes, des Weibes in seiner reinsten Treue und seiner schönlichsten Untreue, in leichtfertiger Schwäche und in männlicher Stärke zu erblicken, mithin eine Folge von Sittengemälden

1) Ersch und Gruber „Euripides.“

auf dem Grund praktischer Wahrheit herauszuhören.“ Tamen cum ipse vir clarissimus, ne nimis in istis rebus arbitrio nostro tribuamus moneat, persuadere mihi nequeo, illam potissimum rationem poetas in fabulis componendis secutos esse. —

Iam igitur revertor ad Buchholzii sententiam, cui omnibus fere locis subscribo, in hoc non adstipulo, quod Euripidem considerate nec sine magna quadam arte nova necdum usitata artificia adhibuisse censet. — Ut enim viro doctissimo concedam, poetam hoc effecisse, ut auditorum animos a cothurni severitate ad socci levitatem sensim ac pedetentim deflecteret, tamen mihi quidem spectatores satis delectasse nobis fabulam legentibus non satisfacere Euripides videtur. Nam non modo hanc fabulam neque tragoediae nec dramati satyrico convenire ostendimus, sed ne ita quidem, si Euripides scribere voluit, quod nos eum voluisse putamus, Alcestis omnibus numeris probanda est.

Quodcumque enim fabulae illius consilium est, haec certe, quae supra ei crimini dedimus, in eam cadunt: non unam, sed duas actiones inesse, non sibi constare personas, alia, quae vel augeri possunt. Quae enim, ut unum afferam, *πλοκή* est, quae *λύσις*? quarum rerum tota fabula ne vestigium quidem inveniri quis est qui neget? — Quae cum ita sint, hoc teneo, Alcestin nobis non posse satisfacere. Cujus rei causam in eo potissimum arbitror positam esse, quod mythus, quo Euripides usus est, omnino non aptus est ad id fabularum genus, quod scribere voluit. Nam devotio quidem atque exitus Alcestidis optimam tragoediae materiem praebent. „Quis enim, inquit Hermannus, non videt, ita rem potuisse institui, ut inscio marito Alcestin se morti devovisse appareret, ille vero nunc, quoniam id votum irritum reddi non posset, ita significaret dolorem suum, ut se potius pro illa mori paratum ostenderet, si servare eam posset, nec vita excedens liberos utroque parente orbos desereret.“ — Immo praeclaram tragoediae materiam habebat poeta, si describebat decretum deorum de morte Admeti, Apollinis fraudem in Parcas commissam, inscio quidem Admeto, Alcestidis devotionem,